

CONSELLO DA CULTURA GALEGA  
GALLAECIAE MONUMENTA HISTORICA

1290, novembro, 26

4

*foro*

*O cabido afóralles a perpetuidade a Gonzalo Pérez, dito de Pol, e á súa muller, Mariña Iáñez, dúas leiras de terreo no Souto do Bispo, xunto ao camiño da Ponte, por renda de media.*

ACOu, Escrituras XVII, 102

(ed. M. B. Vaquero Díaz / F. J. Pérez Rodríguez, *Colección documental del archivo de la Catedral de Ourense*, II, 511-512, doc. 667)

In nomine domini amen. Notum sit omnibus per hoc scriptum perpetuo valiturum quod magister Petrus decanus et capitulum auriense dant et concedunt Gunsalvo Petri dicto de Pol et uxori sue Marine Iohannis duas leiras terreni quas habent in Saltu Episcopi, quarum una iacet inter leiras donni Arie Pelagii et intestat ex utraque parte in caminis publicis qui tendunt ad pontem, altera vero iacet ex altera parte camini, inter caminum et vineas operis et successionis quam tenet Thomas Petri prelatus ecclesie de Veran, et intestat in vinea donni Arie Pelagii. Dant inquam eis et concedunt predictas leiras hoc modo quod ipsi et omnis eorum vox habeant eas perpetuo et plantent eas de vinea et excolant et parent eas bene ita quod non deficient per culturam et dent quolibet anno capitulo medietatem totius fructus qui ex eis provenerit per hominem suum, vinum in torculari et alios fructus secundum consuetudinem civitatis. Et si eas vendere vel obligare voluerint primo capitulo vel alicui de capitulo vendant seu obligent pro iusto precio si eas recipere voluerint, sin autem vendant eas vel obligent tali persone que teneatur capitulo ad ea ad que ipsi ex predicta tenentur pactione, dum modo non miles nec religiosa persona nec servus vel maiordomus alicuius potentis viri. Item non liceat eis contra capitulum super dictis leiris alicuius defensionem vel dominium invocare nec anniversarium ponere vel legare nisi capitulo. Et si super dicta hereditate inter ipsos et capitulum aliqua questio mota fuerit ex necessitate omni appellatione remota per duos de capitulo omni suscitata questio terminetur. Quod si per impotenciam vel negligenciam cultura dicte hereditatis omissa fuerit vel aliquid ex hiis que superius sunt comprehensa non fuerit observatum licitum sit capitulo dictam hereditatem auctoritate propria sine aliqua contradicione accipere et habere.

Facta carta viº kalendas decenbris, era mª cccª xxª viiiª. Regnante in Legione et Castella rege domino Sancio. Episcopo Aurie domino Petro. Maiorino maiore in Gallecia domino Pelagio Gomecii.

Qui presentes fuerunt magister Petrus decanus, Petrus Ordonii cantor, Rodericus Roderici et Suggestus Gundisalviz et Petrus Golvanus archidiaconi, Johanes Iohannis, Domenicus Iohannis, Petrus Roderici, Vivianus Petri, Fernandus Petri, Petrus Velasci, Johanes Pinaria, Rodericus Petri et Petrus Reymundi canonici.

Ego Michael Iohannis canonicus auriensis eiusdemque civitatis cancellarius interfui et scripsi signumque meum apposui.

(signum)

[*reverso*] *Carta do cabido d'Ourense.*